ANDREAS CAPELLANUS. PUBLIUS OVIDIUS NASO
Entstehungsort unbestimmt, 1. Hälfte 15. Jh. Seite 113r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



amissio cerebri et mentis sepissime alteracionem in-
ducit unde homo amens efficitur et furiosus sed et
etiam si nimia diei et noctis cogitacio quam universi
habent amantes inducit cerebri quandoque defectum et egri-
tudines quandoque inde corporis procedunt. Sed memini
me in quodam tempore in quibusdam dictis phisicalibus
invenisse quod propter veneris opera homines tempore bre-
viori senescunt. Et ideo te ad non amandum precibus
amovere contendo.

Alia quoque racione te non amare contendo quia
sapiencia per amorem suum in sapiente perdit officium.
Nam quantumcumque sit aliquis sapiencia plenus si
ad veneris opera deducatur nescit hoc modo vel sua
sapiencia motus luxurie moderari vel actus mortiferos
refrenare. Immo sapientes magis insanire dicuntur
amore et ardencius carnis voluptates expellere
explere quam qui minori sapiencia gubernantur. Sed et magis
sapientes viri postquam in amore delinquunt luxurie
solent contemnere excessus quam qui modica sapiencia
fulti. Quis enim salomone maiori fuit sapiencia plenus
qui tamen sine modo luxuriando peccavit et amore mulie-
rum deos alienos non timuit adorare. Sed quis ma-
ior aut clarior fuit David propheta repertus qui tam in-
numerabiles habens uxores concubinas uxori male
concubuit Urie et eam adulterando stupravit.
Virum quoque eius Uriam cum perfidus homicida neca-
vit. Quis ergo mulierum amator suam sciret cupidinem
moderari et si in viris tante sapiencie indagante fultis
per mulierum amorem sapiencia tamen suum non novit effectum nec